

alias illius rei venditio, vel permutatio jure positivo prohibita non sit. Ita cum D. Thoma, 2, 2, q. 400, a. 4, ad 4, 2, 3. Navarrus, cap. xxiii, n. 108. Pirhing, h. t., n. 77, et hodie communis contra nonnullos antiquos canonistas. Ratio est, quia res temporales, et materiales per benedictionem, et consecrationem accedentem non amittunt suum valorem, vel aestimationem temporalem, quam prius habebant.

222. Nec obstat celebris ille, can. *Si quis objecerit*, 7, cau. 4, q. 3, ubi inquit Papa: *Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit.* Resp. enim, hunc canonem non loqui de rebus benedictionem, seu consecrationem antecedentibus, seu ante illam prius jam existentibus, quales sunt praefatae, calix v. g. vasa ecclesiastica, etc., sed de illis, quae ly spirituale consequuntur, illudque tanquam principale presupponunt, quod dein ipsa tanquam accessorium sequuntur, et adhaerent; uti est jus percipiendi redditus temporales; hoc enim presupponit officium, munus, vel dignitatem spiritualem, eamque primum sequitur, vel ex eo provenit juxta illud c. fin. de *Rescript. beneficium* (id est jus percipiendi redditus) datur propter *Officium*. Et hanc responsionem doctores cum *Glossa in cit. can. Si quis objecerit*. ¶ *Sed res desumunt, ex correcto canone desumunt, in quo loco verborum: « Nam cum corporalis Ecclesias aut episcopus legitur: Nam cum Ecclesiae corporalis episcopus vel abbas. » De cuius proin ecclesiæ episcopali, vel abbatiali dignitate, officio, etc., ac de re temporali jure videlicet percipiendi redditus, officium, vel dignitatem consequente, merito dicitur in cit. can. Si quis objecerit: Quisquis alterum vendit, sine quo nec alterum provenit (id est prodest) neutrum invenditum derelinquit; hoc ipso, quod officium seu dignitas illa spiritualis sine redditibus non proficiat et subsistere nequeat, et haec ab illa nullatenus separari valeat.*

Vel, si incorrectæ litteræ quis insistere velit, dicat cum Valent., tom. III, disp. 46, p. 2, § fin. textum illum loqui de rebus illis consecratis, a quibus consecratio amplius separari nequit, id est Ecclesia, quatenus Ecclesia, de qua proin bene dici potest, quod sine altero vendi non valeat.

223. *Dummodo plus non detur, quam temporale seu materiale in illis valeat.* — Dicitur autem notanter in conclusione, n. 221, po-

sita: « Dummodo ratione benedictionis, aut consecrationis non plus detur, quam res secundum se valet: » hoc enim si sit, simoniam committi, omnes concedunt, hoc ipso, quod illud plus temporale pro spirituali, consequenter simoniace detur. Ubi tamen notandum cum Engel, h. t., n. 17, non esse simoniam, si res consecratæ, aut benedictæ, vel indulgentiis donatae, qualia sunt v. g. crucis Hispaniæ, item rosaria Terræ sanctæ indulgentiam habentia carius, ac secundum materiam valent, vendunt, propter sumptus et expensas, quas in iis asportandis fecit, et labores itineris, quos subiit vendens illas res; quia, cum isti sint pretio aestimabiles, utique in contractum venire possunt.

224. *Et specialis prohibitio Ecclesiæ non obstat.* — Dicitur ulterius et alias illius venditio jure positivo prohibita non sit: sicut enim ex motivo religionis, et sub peccato simoniæ prohiberi potest a jure venditio similiū, ita, ubi prohibet, servandum est, ut exemplum habemus de chrismate, c. *Ea que*, 16, h. t.

225. *Debent tamen prius ita tractari, ut benedictionem censeantur amittere.* — Porro advertunt doctores n. 221 citati, et alii, quod dum etiam licite hujusmodi res consecratæ, v. g. calix, vestis, vendatur ad usum profanum, ante traditionem prius confungi, conflari, dissui, vel alias ita tractari debeant, ut consecrationem amittant, arg. I. *Sancimus*, 21, et *Auth. Præterea*, c. *de Sacro sancta eccles.*

226. *Licitum est, rem spiritualem pro spirituali commutare, excepta materia beneficia.* — Resp. II. Commutare rem spiritualem pro spirituali non est simonia excepta materia beneficiorum; dummodo ratione spiritualis plus temporale commutando non detur, Pirhing, h. t. tr. IV, resolut. 450; Layman, lib. IV, tract. X, cap. ult. *de Simonia*, n. 2; Suarez, lib. IV, *de Simonia*, cap. xxx, n. 5, arg. c. *Ad questiones de Rerum permut.* juncta *Glossa ibid.* ¶ *Per sequant.* Ratio est, quia nec jure divino, nec humano id prohibitum reperitur.

Neque in contrarium militant canonies, quibus universaliter prohibetur omnis pactio circa spiritualia. Resp. enim, canonies hos loqui de illis pactionibus, in quibus datur temporale pro spirituali, aut e contra. Suarez, lib. IV, *de Simonia*, cap. xxxi, n. 20; Pirhing, h. t. n. 124.

Dicitur autem notanter excepta materia

§ XI. DE POENIS SIMONIAE.

197

beneficiaria, in hac enim permutationem privata auctoritate fieri absque simonia juris ecclesiastici non posse, dictum est supra arg. c. *Quæsitum*, 5, c. *Olim*, 7, *de Rerum permuat.*

227. *Doctrina practica ad propositum.* — Intertur, non esse simoniam, commutare reliquiarum pro reliquario, aut rosario habente indulgentias, aut pro alia re sacra. E contra vero, esse simoniam, si praedictorum aliqua, aut alia re sacra, vel benedicta habente indulgentias intuitu spiritualitatis datur res profana majoris pretii et valoris, quam sit res consecrata et benedicta, secundum esse materiale. Pariter committitur simonia, si in permutatione duarum rerum consecratarum aut benedictarum res una consecrata, quæ secundum esse materiale majoris censemur valoris, pro alia re consecrata, quæ secundum materiam est minoris valoris datur ex eo, quod haec sit, vel censetur magis sacrata, aut majores habent indulgentias, etc. Ratio est, quia in tali casu ille excessus majoris valoris temporalis revera datur pro re spiritualis, ut consideranti patet. (ADNOTATIONES IX et X.)

§ XI.

DE POENIS SIMONIAE.

228. *Poenarum gravitas plures arcet a malis, quam timor Dei.* — Quoniam plures poenarum gravitas, quam Dei timor arcere solet a voluntate peccandi, ut dicitur Extravag. *Cum detestabile*, h. t. Hinc Ecclesia ad eliminandum perniciosissimum sibi crimen simoniæ varias, easque graves contra illud constituit poenas, quas videre licet tum in cit. Extravag. tum in hoc titulo passim. De quibus proin in præsenti §.

229. *Propter solam simoniæ in suspicione ordinum, vel ingressu in religionem, vel beneficiis ecclesiasticis commissam incurvantur poenæ.* — Quæritur I. An ob quamvis simoniæ incurrantur juris poenæ? Resp. I. Poenæ in jure contra simoniacos statutæ non ob quamlibet, sed ob eam solam simoniæ ipso jure et facto incurrontur, quæ committitur vel in suspicione ordinum, vel religionis ingressu, vel beneficiis ecclesiasticis. Navarrus, in *Manual.* cap. xxiii, n. 111, § 6 et § 7; Palao, *de Simonia*, punc. 21, n. 2; Suarez, lib. IV, cap. lv, n. 5; Sylvestri, ¶ *Simonia*, q. 49; Lessius, lib. II,

cap. xxxv, dub. 23, n. 120; Layman, lib. IV, tr. X, cap. viii, n. 69; Pirhing, h. t. n. 154, et alii communiter. Ratio est, quia nec in novo, nec in antiquo jure reperitur aliquis textus imponens simoniacis poenam, nisi simonia committatur in uno præfatorum, religionis videlicet ingressu, ordinum suspicione, et beneficiis ecclesiasticis; ergo ad nullam aliam simoniæ poenas extenderem debemus; nam odia restringi, et favores convenit ampliari, c. *Odia*, 15, *de Reg. jur.* in 6. Et in poenis benignior est interpretatio facienda, c. in *Pœnis*, 49, eod.

230. *Et quidem ipso facto.* — Quod autem propter praedictas tres species simoniæ incurvantur poenæ juris ipso facto, præter c. *Reperiuntur*, 1, q. 4, et quosdam alios canones, quide excommunicatione loquuntur, habetur clarissime in Extravag. *Sane*, et *Extravag.* *Cum detestabile*, h. t. inter communies, ubi committentes simoniæ in ingressu religionis, in ordinibus, aut beneficiis ipso facto excommunicantur, aliisque poenies subjiciuntur.

231. *Solvitur objectio.* — Concordat Bulla B. Pii V, *Cum primum* (et habetur in *Bullario Romano ordine 5*) in qua contra dictas tres simoniæ species tantummodo poenæ ipso jure infliguntur, aliae autem simoniæ sacramentales per locorum ordinarios puniri jubentur.

232. Nec obstat, quod Paulus II in Extravag. *Cum detestabile*, h. t. Omnes et singulas excommunicationes, suspensiones, censuras et poenæ, dudum a Romanis Pontificibus contra simoniacos quomodolibet latas, et eorum quemlibet tam manifestum, quam occultum, quas ipso facto eos incurrire voluit, innovaverit, etc. Ex quibus verbis, ne superflua forent, videtur inferendum contra primam partem responsionis, omnes poenæ juris contra simoniacos, quæ olim erant rendæ sententiae, nunc ipso facto incurri. Resp. enim negando seq. quia (ut patet ex verbis mox sequentibus, et sub eodem verborum contextu prolatis, innovantes declaramus, quod omnes illi qui simoniace ordinati fuerint) ibi est sermo de simoniæ in ordinibus contenta, quam una cum simonia in religione et beneficiis commissa magis punire volunt Summi Pontifices propter maius detrimentum, quod inde universalis Ecclesiæ bono infertur.

233. Nec tamen superfluunt praedicta verba. Nam iisdem facta est extensio poena-

rum a publicis simoniacis ad ocellatos, ita, ut omnes pœnae, quæ contra publicos simoniacos in ordinibus olim fuerunt statutæ, inde etiam ipso facto incurrant ab ocellatis. Non vero illis verbis facta est extensio pœnarum quoad omnem prorsus simoniam, ita, ut ipso facto incurrant pœnae ibidem expressæ per quoscunque simoniacos; cum de cœteris nulla fiat mentio, et pœnae potius sint restringendæ, quam ampliandæ per dicta n. 229.

234. *Propter simoniam mentalem nulla incurritur juris pœna.* — Resp. II. Ob simoniam duntaxat mentalem (qualis sit, vide supra n. 45) nulla incurritur pœna, etiamsi in susceptione ordinum, vel religionis ingressu, vel beneficiis ecclesiasticis committatur. Communis et certa. Ratio est, quia contra hanc simoniam nulla invenitur pœna statuta in jure; imo ibidem pro conclusione expresse deciditur, dum dicitur c. fin. h. t. quod pro simonia, quæ nullo pacto, sed affectu animi præcedente committitur (uti fit per simoniam mentalem) sufficit per solam poenitentiam suo satisfacere Creatori. Cur autem contra hanc simoniam Ecclesia nullam statuerit pœnam, rationem reddit Papa c. *Tua nos*, 34, h. t. quia Ecclesiæ datum est de manifestis tantum judicare: de internis enim apud districtum judicem (qui scrutator est cordium et cognitor secretorum) culpabiles judicantur, cit. c. fin. h. t. quod etiam experientur committentes simoniam duntaxat mentalem; licet enim in hoc mundo nullas juris pœnas incurrant, pœnas tamen manus divinæ non evadent, nisi condignam poenitentiam agent.

235. *Nec ob simoniam jure conventionalem.* — Resp. III. Etiam propter simoniam pure, seu mere conventionalem (id est illam, qua quidem pactum externum dandi temporale pro spirituali, aut e contra intervenit, ex nulla tamen parte adhuc adimpletum est, juxta dicta n. 19) nulla incurritur juris pœna, in quoconque tandem committatur. Rursus certa apud omnes teste Palao, *de Simonia*, p. 22, n. 2, et aliis. Ratio est, quia canones in quibus in simoniacos statuntur pœnae, non de puris conventionibus, sed actibus inde provenientibus, actuali nempe datione, et receptione loquuntur; uti patet ex verbis *Extravag. Cum detestabile*, 2, h. t. ibi: « *Universi, qui dando, vel accipiendo simoniam commiserint, sententiam excommunicacionis incurant: » item ex illis verbis: « Tam*

*dantes, quam accipientes excommunicationis sententiis subjaceant. » *Extravag. Sane*, eod. qualia etiam alibi habentur passim in jure, uti can. *Presbyter*, 3, can. *Quisquis*, 5, can. *Quos*, 6, etc. can. 4, q. 4. *Cum concordantiis.**

236. *Solvitur objectio.* — Nec dicas: Empatio et venditio perficitur solo consensu in rem et pretium ejus, uti habetur § 4, *Instit. de Emptio.*, atqui simonia est aliqua emptio; ergo solo consensu perficitur, etiam ante traditionem rei spiritualis, aut solutionem pretii; et consequenter etiam simonia conventionalis subjacebit pœnis, cum jam sit simonia perfecta. Resp. enim negando hanc ultimam seq. nam ex hoc, quod simonia conventionalis jam sit perfecta simonia, solum sequitur eam esse non tantum grave peccatum, sed insuper subesse foro Ecclesie, ac puniri posse, quod ulti fatemur: non autem sequitur, quod de facto per Ecclesiam pœnae sint contra eam impositæ, et de quo solummodo quereritur; quodque a nobis negatur. Siquidem pœne istæ eatenus solum incurrontur, quatenus jure humano ecclesiastico exprimuntur: nulla autem habetur expressa contra simoniam pure conventionalem; ergo.

237. *In electione summi Pontificis pœnas contrahit etiam pure conventionalis simonia.* — Excipe cum Fagnano in c. *Nobis, de Simoni. n. 13*, simoniam conventionalem in electione summi Pontificis commissam. Quia Julius II, in sua constitutione, cum tam di vino, etc. (et habetur tom. I, *Bullarii Romani*, constitut. 3, ipsius) etiam in eam pœnas statuit, ut patet ex illis verbis dictæ constitutionis: « *In dando, promittendo, vel recipiendo pecuniam: » necon ibi, « *promissiones et obligationes.* » Sed hoc est speciale, quia specialiter expressum, ut eo sanctius celebretur electio summi Pontificis, Christi in terris vicarii.*

238. *Ob conventionalem mixtam simoniam incurrintur juris pœnae secundum aliquos.* — Et quidem hactenus dicta de pœnis simoniae sunt certa: sed gravissima controversia est apud doctores an juris pœnae in simoniacos statutæ incurrant propter simoniam conventionalem mixtam, si videlicet saltem ex una parte pactum simoniacum completum, et temporale vel spirituale simoniae promissum, actu jam traditum est? (de qua simonia vide supra num. 19.) Affirmativam tenent non pauci primæ classis doctores ut

doctor Thomas, 2, 2, q. 100, a. 6. *Sotus*, lib. IX, *de Justit.* q. 8, a. 4. Cajetanus, 2, 2, q. 100, a. 6. Palao, *de Simonia*, pun. 22, num. 5. Valentia, tom. III, disp. 6, q. 16, p. 6, et alii, idque probare conantur pluribus juris textibus, quos infra loco objectum adducemus; interea tamen fatemur, sententiam præfatorum doctorum spectando jura, revera omnino probabilem esse. Quo non obstante:

239. *Contrarium est probilius.* — Resp. IV. Propter simoniam conventionalem mixtam etiam illam, in qua spirituale v. g. beneficium ecclesiasticum, non item temporale simoniae pro illo promissum, actu jam traditum est, nullæ incurritur pœnae contra simoniacos in jure statutæ. Navarrus, in *Manual.*, cap. XIII, num. 104. Zoesius, h. t., n. 92, et seqq. Covar., in *Regul. peccatum.*, p. 2, § 9. num. 7. Gutierrez, canon. qq. lib. I, cap. IX, n. 10. Flaminii. Parisien. *de Resign.*, lib. VII, q. 2, num. 16. Lessius, lib. II, cap. XXXV, dub. 27. Suarez, lib. IV, *de Simonia*, cap. LXI, n. 33. Gonzalez, *de Regul. Cancell. Gloss.*, lib. XV, num. 69 et 70. Engel, h. t., num. 34, cum communis aliorum. Ratio est, quia nullib[us] in jure reperitur aliqua pœna clare expressa contra aliquam simoniam conventionalem mixtam, seu utrinque nondum completam; atqui in dubio non est asserenda pœna, siquidem juxta c. *In pœnis*, 49, de R. I. in 6. In pœnis benignior est interpretatio facienda: et l. XLII, ff. de Pœnis: Interpretatione legum pœnæ molliendæ sunt potius, quam exasperandæ, ac c. 30, de R. I. in 6. In obscuris minime est sequendum. Accedit, quod testibus Navarro, Lessio, Gomez, et Cassado, ita etiam observet stylus Curiae, vi cuius non censentur pœnae contractæ, simonia realis utrinque completa habeatur; atqui stylus curiae habetur pro jure et lege juxta communem doctorum arg. c. *Ex litteris. de Constit. et c. Quam gravi. de crimine Fals.*

240. *Solvuntur objectiones.* — Nec obstat I. Quod in *Extravag. Cum detestabile*, h. t. pœnae imponantur sub disjunctione illis, qui dando, vel recipiendo simoniam admirerint; et consequenter videatur sufficere, eam ex una parte esse completam, licet nondum ex altera. Resp. enim negando seq. nam particula disjunctiva additur ad indicandum, pœnas illas v. g. excommunicationis non tantum a dante, sed et etiam a recipiente beneficium ecclesiasticum per simoniam soleat reum illo privare, licet, quia non per-

contrahi. Quinimo cum *Extravagans* illa non magis de datione unius quam alterius loquatur, intelligenda est de utraque (ut notat Navarrus, loc. cit.) sive de simonia utrinque completa, ut odia restringantur, quantum salva verborum proprietate fieri potest.

241. Nec obstat II. *Textus c. Si quis*, 44, h. t., ubi dicitur, quod tam ordinans, quam ordinandus sub promissione, quod non postulabit ordinatus ab ordinante provisionem (id est, sustentationem alioquin de jure debitam ordinato ad sacros sine titulo, arg. c. *Cum secundum*, 16, *de Præbend.*) incurrit suspensionem per triennium; cum tamen haec videatur esse sola simonia conventionalis mixta. Cui simile quid habetur c. *Per tuas*, il. 3, h. t. Resp. enim cum Pirhing, h. t., num. 159, allegante Suarezium, ibi fuisse commissam simoniam perfectam: licet enim pecunia aliqua data non fuerit pro ordinatione, ipsa tamen obligatio de non petenda provisione, seu remissio juris ad istam, erat res pretio estimabilis, et jam actu perfecta. Ad *textum c. Per tuas*, h. t., respondet Abbas, ibid. conformiter dicit: nam et ibi remissa fuit obligatio rei temporalis, ut acquireretur spirituale; remittere vero, idem est ac dare arg. c. *Veniens*, il. 1. *de Testib.* unde negatur assumptum.

242. Nec obstat III. *Bulla B. Pii V, Intolerabilis*, ubi § 3, declarat, pœnas ibidem statutas incurri, licet ipsum confidentia crimen alterius tantum partis conscientia sit admissum. Resp. enim, dictam Bullam loqui de simonia confidentiali, in qua hoc est speciale, neque extendendum ultra casum expressum, cum sit odiosum. Quod si aliqua *Bulla B. Pii V*, hac de re edita sit, ea non videtur usu recepta, ut inquit Lessius, loc. cit., n. 149.

243. Nec obstat IV. c. *Ea quæ 1, q. 3*, ubi Urbanus II, sic loquitur: Quidquid ergo vel in sacris ordinibus, vel in ecclesiasticis rebus vel data, vel promissa pecunia acquisitum est, nos irritum esse, et nullas unquam vires habere censemus. Nota ly, vel promissa pecunia; ergo sufficit sola promissio pecuniae ad pœnas incurendas, cum ly, vel, sit disjunctiva. Resp. enim cum Navarro, cap. XXIII, *Manualis*, num. 104, quod Rotæ prætorum propter talē simoniam super beneficio ecclesiastico commissam soleat reum illo privare, licet, quia non per-

venit ad realem, non declarat eum ipso jure privatum. Ita Navarrus: unde Urbanus II, intelligendus est post sententiam judicis, non autem ipso jure; nam solum confirmavit, quae prius a sanctis Patribus de simoniacis statuta sunt, patet ex prioribus verbis ipsius.

244. *Si simonia conventionalis pura, vel mixta, postea utrinque completur, retrotrahuntur et incurvuntur pœnae.* — Resp. V. Si tamen postmodum pactio simoniaca, quæ prius fuerat solum conventionalis, utrinque in totum vel in partem fiat completa ut si quis saltem partem etiam modicam, v. g. sex aureos det, qui centum pro spirituali promisit, incurvuntur pœnae juris, et retrotrahuntur ad tempus pactionis præteritæ. Ita Navarrus, loc. cit., et Lessius, num. 151. Id enim erat stylus antiquus Curiæ, cui standum est; licet alioquin facilius dici posset, pœnas ejusmodi primum incurri a tempore simoniae ab utraque parte completæ, nisi contrarium suaderet stylus antiquus Curiæ, ut subdit Navarrus. Hinc

245. *Exemplificatur.* — Infertur: Si collator conferat Titio beneficium ecclesiasticum sub pacto 100 aureorum sibi solvendorum, quos Titius primum solvat post annum, ante annum, seu ante factam solutionem nondum incurritur pœna excommunicationis, nec collatio illa erit irrita: si tamen post annum solvator pecunia, sive utrunque compleatur simonia, jam censebitur incursa excommunicatio ab utroque, et inhabilitas Titii ad beneficium ab initio contractus, seu integro retro anno, et ipsamet collatio nulla ab initio. Et hoc variis exemplis, in quibus similis retrotractio pœnae fit, declarant Navarrus et Lessius, l. cit.

246. *Solvuntur objectiones.* — Nec obstat I. Quod collatio beneficii pure facta sine conditione non possit esse pendens, sed statim aut sit valida, aut irrita, ut late traditur per Felinum, in cap. II, de Electione, in 6. Resp. enim Navarrus, loc. cit. spectato jure antiquo ita fuisse; secus autem esse dicendum spectato jure novo, scripto vel non scripto, quod per stylum Curiæ, Papa sciente, et non contradicente hactenus observatum, atque interpretantem saepè dictam Extravagantem, singulariter habetur et probatur.

247. Nec obstat II. Quod si excommunicatio post completam utrinque simonia retrotrahatur ad tempus initi contractus simoniaci, videatur sequi, celebrantem inte-

rea postmodum etiam fieri irregularē, quia celebravit in excommunicatione, quæ per fictionem juris fuit retrotracta. Resp. enim negando seq. quia, ut notat Lessius, n. 154, post alios, hæc retrotractio per juris fictionem fit quidem in excommunicatione, non vero in irregularitate: tum, quia hæc non incurritur, nisi per violationem censurae absolute incursæ; nam quæ nondum est, nequit violari. Tum quia ignorans censuram, celebrando in ea non fit irregularis, ut expresse habetur c. Apostolice, de Cleric. excommun. talis autem ignorantia excommunicationis habetur, antequam ea sit actualiter contracta, uti patet; ergo.

248. Accedit manifestum discrimen, cur excommunicatio retrotrahatur, faciatque, ut collatio beneficii interim facta sit nulla et invalida, non item irregularitas arcens hominem ab executione ordinum. Nam ibi agitur de lucro captando hic de damno incurriendo: unde quia ignorantia juris, aut facti juvat ad vitandum damnum seu pœnam, non autem ad captandum lucrum, l. 7, et seqq. ff. de juris et facti ignorantia non est mirum, retrotrahi excommunicationem, ut impedit lucrum captandum, v. g. beneficium acquirendum, non vero irregularitatem, utpote quæ novum damnum infert, arcendo hominem a susceptione vel executione ordinum.

249. *Ob solam, et omnem simoniam realem incurvuntur ipso facto juris pœnae.* — Resp. VI. Ob solam ergo, et omnem simoniā realem utrinque saltem ex parte completam (de qua n. 20.) in susceptione ordinum, vel ingressu religionis, et beneficiis ecclesiasticis commissam, ipso jure et facto incurvuntur pœnae contra simoniacos in jure statutæ: quod ob hanc solam, constat ex hactenus dictis, quod ob eam omnem, tenent omnes. Ratio patet; quia, cum jura velint simoniacos ipso jure et facto incurrire pœnas, et ex hactenus dictis probatum maneat, eas non incurri propter mentalem, nec propter conventionalem aliquam, necessario sequitur, eas saltem propter realem incurri. Et quidem propter omnem eam occultam; eo quod propter jura antiqua id tacite jam valentia, utpote generaliter loquentia, conseq. ene nullam nec occultam excipientia, arg. c. *Quia circa*, 22, de Privileg. specialiter autem, et manifeste declaratur, ac deciditur Extravag. *Cum detestabile*, h. t., per textum supra allegatum n. 431.

250. *Possunt tamen etiam aliæ simoniæ ab ordinariis puniri.* — Resp. VII. Quamvis ipso facto nulla incurritur juris pœna, nisi committatur simonia realis utrinque saltem secundum partem completa in susceptione ordinum, religionis ingressu, et beneficiis ecclesiasticis; possunt tamen, et subinde debent etiam reverendissimi Ordinarii ob alias simoniæ in quacunque materia commissas pœnam aliquam prudenti suo arbitrio imponere. Patet hoc ex Bulla B. Pii V, citata supra; et ratio est, quia cum quævis simonia sit gravissimum crimen juxta dicta n. 6, procul dubio quemlibet possunt, et subinde debent punire ordinarii, utpote qui soli in hoc crimine sunt judices competentes tam contra laicos, quam clericos, ut cum Glossa, in c. *Quam sit*. § 7. *Malefactores de Foro competent.* Abbas, n. 20. Pirh., h. t., n. 142, et alii bene advertunt.

251. *Pœna contra simoniæ in ingressu ad religionem est excommunicatio.* — Quaritur II. Quæ pœnae in jure sint statutæ contra simoniæ, quæ committitur in religionis ingressu? Resp. I. Contra hanc simoniæ sequentes tres ipso facto incurvunt pœnas simoniaci prima est, quod tam dantes, quam recipientes aliquid simoniace pro ingressu religionis (juxta dicta superius § 9), si sunt personæ singulares, excommunicationem, si vero capitulum, vel conventus ad id consentientes fuerint suspensionem ab officio capitulari ad jurisdictionem, vel administrationem pertinentem, ipso facto incurvant, alii etiam pœnis in suo robore duratur. Ita clare statutum habetur Extravag. *Sane*, 1, h. t.

252. *Detrusio ad aliud strictius monasterium.* — Altera pœna est, quod c. *Veniens*, c. *de Regularib.* et c. *Quoniam*, h. t. Religiosi simoniace suscepti jubeantur de suo monasterio expelli, et in arctioribus monasteriis ad agendum ibi pœnitentiam detрудi; quamvis in nonnullis casibus ibidem expressis possint dispensative in priori monasterio remanere. Insuper Abbas, et majores personæ monasterii jubentur suspensi, immo etiam de monasterio in vetius detrudi, c. *c. Quoniam*, h. t. Liceat etiam isti in certis casibus possint dispensative in priori monasterio permanere. Neque illi, neque isti tenenter inde discedere, donec per superiorum competenter ad aliud monasterium ingredi, ut probat Lessius, lib. II, cap. xxxv, n. 432.

253. *Et infamia.* — Denique incurvunt etiam infamim juris, et per consequens sunt irregularē, saltem si crimen est notorium notoriæ juris, aut facti, prout ex cit. Extravag. 1, h. t., § *Certum*, recte docet Anton. Thesaur. de Pœnis ecclesiast. p. 2, § 7. *Simonia*, cap. x, n. 3 et 4.

254. *Professio tamen valet.* — Illud tamen cum Lessio, loc. cit. Sanchez, lib. II, consil. cap. III, dub. 104, n. 5. Navarro, et aliis notandum, quod professio simoniace susceptorum non sit invalida, consequenter ita susceptus, ad sæculum redire, et nubere non valeat; licet mandante legitimo superiore ad arctius monasterium transire debat, eo quod licet sit, et manere debeat religiosus, tamen firmum non acquirat jus præbendæ regularis, seu portionis ordinariæ, vocisque activæ et passivæ in capitulo, quod est jus ad instar præbendæ canonicae, uti post Navarrum, bene observat Lessius, loc. cit.

255. *Et ante illam pœnae ipso facto non incurvuntur.* — Ulterius notandum cum Castro Palao, de *Simonia*, pun. 23, n. 3. Pirhing, h. t., n. 71, et aliis, quod etsi committatur simonia statim per simoniacum ingressum ad noviciatum, præfatae tamen juris pœnae non incurvantur, nisi secuta professione, consequenter ab eis regulares immunes esse, si pecuniam, vel quid alind simoniace promissum non recipiant, vel receptum iterum ante professionem tradant, aut ingressus professionem non emittat, sed iterum ad sæculum redeat.

256. *Moniales, ob simoniæ commissam in susceptione ad religionem, nullas incurvunt juris pœnas.* — Resp. II. Quamvis moniales in monasterio suffientes pro ingredientibus redditus jam habente æque, ac ali regulares veram simoniæ committant, si pro ingressu ad religionem aliquid tempora le exigit; etsi illud loco dotis ad honestam ingressus sustentationem id facere dicant, tamen pœnas juris non incurvant. Tota conclusio patet ex dictis supra a. n. 472, ubi vide, ne sup illuat sit repetiti.

257. *Pœna contra simoniæ in susceptione ordinum commissam, sunt I. Excommunicatio.* — Quaritur III. Quas pœnas indicat simonia reals in ordinibus? Resp. confere et recipiens ordines per simoniæ realem est ipso facto excommunicatus. Ita habetur in Extravag. *Cum detestabile*, h. t., cum, ubi prius § 1, facta fuisse mentio de